



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. De varijs causis, seu modis, quibus constituitur forum competens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

De variis causis, seu modis, quibus constituitur forum competens.

Ordinarij sunt quatuor modi, quibus forum competens constituitur, & sortitur aliquis, prout habetur ex *cap. ult. h. t.* ratione domicilii scilicet, ratione contractus, ratione delicti, & ratione rei sitæ in certo territorio aliquo. Præter hos quatuor modos, de quibus pauld post, sunt etiam extraordinarij aliqui & generales, quibus forum quis sortiri poterit. Sic primò ex *e. Licet 20. h. t.* patet, quòd advenæ & peregrini in curia Romana conveniri possunt, si Romæ existant, quamvis ex nullo alio quatuor modorum prius enumeratorum forum competens Romæ sortiantur; Clerici quidem in omnibus causis tam Ecclesiasticis, quàm temporalibus, tam Civilibus, quàm criminalibus; Laici verò saltem in causis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, cum enim omnes Ecclesie totius mundi sint in territorio Papæ, consequenter respectu omnium Ecclesiarum illis subditorum competens Judex est Papa. Per hoc tamen non negatur taliter convento, ex justa & necessaria causa, litem sibi Romæ intentatam domum revocare ad forum domicilii, ubi ad respondendum melius instructus est, & quamvis *Trident. sess. 24. c. 20. De refor.* velit, ut causæ Ecclesiasticæ in prima instantia coram Ordinariis locorum cognoscantur, ac terminentur, per hoc tamen nihil derogatum voluit *Cap. Licet.* Cum omnium locorum Ordinarius dici possit etiam Papa, & Roma sit communis omnium in Christo fidelium patria.

Secundò possunt etiam sortiri forum aliqui ratione causæ, prout causæ Ecclesiasticæ & Spirituales etiam Laicorum coram Judice Ecclesiastico tractari debent, etsi nec ratione domicilii, nec ex alio ordinatio capite, ad talem judicem personam tale spectarent. Tertio, possunt spectare forum sortiri aliqui, ob certa illis concessa privilegia, quibus ab ordinario foro exempti, certo foro gaudent. Quarto ratione Communitatis privilegiatæ, cui adscripti sunt, Et quinto denique ratione continentie, & connexionis causarum, de quibus suis locis.

§. III.

Quomodo, & quando sortiantur quis forum, ratione domicilii, sive originis, sive habitationis?

Duplex est forum domicilii, originis scilicet, & habitationis. Originis domicilium ibi quis censetur habere, ubi quis natus est ex patre, qui non tantum per modum transeuntium in hoc loco, ubi quis natus est, morabatur, cum ubi domicilium habeat, sed in quo pater nati filii stabile domicilium habebat, si tamen aliquod haberet, licet filius extra hunc locum ex occasione transeuntis, per aut fugæ natus sit. Imò juxta aliquos ibi etiam forum originis sortitur aliquis, ubi pater illius natus, vel si ipse nepos vivente avo, & in hujus potestate natus sit, avitæ originis forum sortitur: nunquam autem matris, nisi sit vulgò quæsitus, qui patrem demonstrare non potest. Et quamvis de jure fortius sit domicilium originis, quod immutabile dicitur (neque enim qui in hoc loco v. g. natus est, non potest esse aliquando in hoc loco

natus